



The Holy See

PIUS PP. X

EPISTOLA

***QUA PIUS PAPA X GRATIAS PERSOLVIT IMPERATORI GERMANIAE
DE OBLATO PRIMO VOLUMINE OPERIS SACRARIUM XYSTINUM ILLUSTRANTIS****

AUGUSTISSIMO SERENISSIMOQUE PRINCIPI
GUILIELMO
GERMANIAE IMPERATORI BORUSSIAE REGI ILLUSTRIS

Augustissime et serenissime Imperator, salutem et felicitatem.

Primum operis volumen, quod ad Xystinum illustrandum sacrarium Ernestus Steinmann, doctor, edere est aggressus, pergrate a Maiestate Tua dono suscepimus, gratiasque Eidem quam plurimas de praeclaro munere agimus. Novum inde haurire placet argumentum humanitatis urbanitatisque, quae in praenobili ac munifico Maiestatis Tuae animo elucent ac splendent; libetque gratulari etiam vehementer quod ad rem tanti tamque explorati decoris favorem omnem ac liberalitatem Tua Maiestas contulerit. Id interea gaudemus, doctoris Germanici studio novum artis monumentum e Vaticanis aedibus fuisse profectum, semperque id genus opera in, eruditis Germaniae viris laudabimus, quum non minus eadem ad Nostram illustrandam Sedem, quam ad comparandam Imperio isti gloriam conducant. Maiestati Tuae omnique Augustae Ipsius Domui faustissima quaeque exoptamus, Deumque adprecamur ut Maiestatem Tuam incolumem diutissime servet.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Maii MDCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

*AAS, vol. XXXIX (1906), p. 71.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana